

AVSPICE DEO TER MAXIMO

PRÆSIDE CLA-
RISSIMO EXCELLEN-
TISSIMOQVE VIRO DN. IV-
LIO PACIO I. C. EXIMIO ET IN

PERVETVSTA ELECTORALIS PALATINATVS

Academia professore Codicis ordinario, nunc temporis

Prorectore magnifico, præceptore suo omni

officiorum genere profe-
quendo.

POSITIONES DE PROBATIONIBVS, EIVSQVE
præcipuis generibus, TESTIBVS scilicet &
INSTRUMENTIS.

PVBLCICE DEFENDENDAS SVSCIPIET

12. Februarij Anno 92.

Fridericus Hagen Buchonicus

Loco & horis consuetis.



Spiræ Nemetûm, Apud Bernardum Albinum.

ANNO DOMINI 1712.

PRUDENTIA & SAPIENTIA
conspicuis viris ac Dn.

*Civitatis Geisensis consulibus & senatoribus, &c.
cognatis fautoribus & amicis suis
obseruandis.*

*Hæc suspositiones dicas
ac dedicas*


Respondens



Geisensis Consilii, Senatibus, &c.

Speyer

40. 1767



3
D. O. M. F.

CVM INTER VTILISSIMAS MAXIMEQVE NECESSARIAS SS. iuris prudentia nostra materias merito Princeps PROBATIONIBUS assignetur locus subsequentes hasce conclusiones, de ea eiusque principum speciebus publicè disputando excutiendas proponere visum fuit.

I.

Ut autem iusta methodo progrediamur, Probationem genericè acceptã definimus rei dubiæ per argumenta ostensionem; (specificè, actum solennem, per quem rei controverisæ iudici fidem facimus.

II.

Probationes cum Quintiliano diuidimus in artificiales & inartificiales; Illæ ex ipsa nascuntur, indeque à probante arte eruunt; Hæ verò extrinsecus assumptæ ad probantem deferuntur; Cuius generis præcipuæ sunt, Tabulæ & Testes, d quibus postmodum, DEO UNO & TRINO AUXILIANTE paucis à cluri sumus.

III.

Cæterum cum frustra de generibus probationum quaratur, nisi prius quis probare debeat, constat, enodabimus primum antequam ad probationum genera descendamus, nobilem & utilissimam illam quæstionem; Utri litigatorum probandi onus iucumbere solet.

IV.

Ad quam cum Ic. Paulo respondemus; Ei iucumbere probationem qui dicit, non qui negat.

V.

Adoritaque cum semper vltro aliquid obijciat & affir-

met, si is qui lite pulsatur id inficiatur, regulariter probandi necessitati astrictus est.

VI.

Vsq; adeò, vt quamuis reus nullum ius habeat, sed solo possessionis nitatur còmodo; non tamen onere probandi grauetur, multò minus possessione deiciatur.

VII.

Imò etiam si reus vltro in se probandi prouinciam suscipiat & in probando deficiat, non tamen iure suo cadit.

VIII.

Nec quicquam iuuat actorem, si statim post intentatam actionem confitetur, se id quod asserit, probare non posse.

IX.

Non semper autem reus negat, quod actor intendit; Interdum de ipsius intentione confessus ipse aliquam defensionē opponit qua se tueatur, id si facit, quia iam non negat, ipse probare debet.

X.

Hinc est quod Ulp. ait; In exceptionibus reum partibus actōis fungi debere.

XI.

Et hæc quidem hætenus procedunt, nisi aut indicijs certis & iure receptis, confessione aduersarij, inspectione iudicis, iureiurando, facti euidencia, fama cum alijs adminiculis concurrente, vel firma præsumptione affirmans munitus sit, hoc enim si fiat, ab onere probandi immunis est.

XII.

DE TESTIBVS.

Nunc vltimatissimum probationum genus, quod per testes fit, secuti ordinem C. aggrediemur; Sunt autem testes, qui ad alicuius rei gestæ fidem faciendam inuocantur.

Posto

Porro alij testimonium dicere prohibentur, alij coguntur, alij excusantur.

XIV.

Ex numero eorum qui prohibentur, quidam omnino testes esse nequeunt, alij tantum pro certis personis, vel contra certas personas, quidam certis incansis solum modo prohiberi inveniuntur, de quibus ordine videbimus.

XV.

Et primo quidem generaliter à testimonij officio repelluntur furiosi, item pupilli (excepto crimine læsæ maiestatis) antequam in tutelam suam venerint; Postquam autem pubertatis annos excefferunt, an de ijs, quæ in pupillari ætate viderunt, testimonium dicere possint, dubium est, Gl. in l. 3. posse affirmat, quam hætenus admittimus, si de his dependant, quæ pubertati proximi viderunt,

XVI.

Publico deinde iudicio damnati, si restituti non sunt, vt & rei, omnimodo à testimonio perhibendo arcentur.

XVII.

Sed quid de eo, qui tantum in suspicionē criminis venit, & neque damnatus neque etiam reus eius factus est, statuendum est? Recipi eum oportere, nisi vel publicè de crimine constet, vel ante ob idem crimen obiectum à testimonio repulsus sit, vel obijciens illud demonstrat, cum magni nominis I. C. Iusto reubero, cuius vestigia hæc in materia præcipue secuturi sumus, existimamus.

XVIII.

Præterea in totum prohibentur ij, qui in vinculis custodiae publicæ sunt, qui cum bestijs vt pugnarent se locarunt,

& quæ palam quæstum facit feceritve.

XIX.

Periuros item & eos qui ob testimonium dicendum vel non dicendum, siue verum siue falsum sit, pecuniã accepisse iudicati vel conuicti sunt, omnino vetari censemus.

XX.

Nec referre putamus falsi testimonij aut periurij eos pœnituerit necne, cum difficile sit de pœnitentia alicuius, quæ in animo magis quàm in externo gestu consistit, iudicare.

XXI.

Quibus aggregandi sunt hæretici, serui, statuliberi & ascriptitij, Verum enimverò si quãdo alia probatio non suppetit, hos omnes de quibus abs thesi 16. hucusque egimus ad testimonium euocari posse credimus, ea tamen lege, vt sine tormentis ipsis non credatur.

XXII.

De surdo & mutuo quid concludendum sit, dubitationem recipit? Nos mutuum testimonium ferre nõ posse, nisi signis, nutu, vel alio modo animi sui sensa declarare possit, statuimus; Cæcum verò in ijs tantùm, quibus visus opus est, prohiberi putamus.

XXIII.

Pro certis personis his potiss. testimonij officio interdictum est; Cuilibet pro seipso, siue in re sua, domestico pro vel cõtra domesticum.

XXIV.

Sunt autem domestici, qui ita sunt in domo alicuius, vt in eos paterfam. imperium & potestatem habeat; Inter quos præcipuum sibi locum vendicat vxor (cuius appellatione etiam sponsam intelligimus) ita quidẽ vt neque pro marito, neque in eum testis esse possit.

Hic

Hic controuersa sese quaestio offert, an consentiente aduersario vxor testimonium dicere possit in causa mariti? Et quamuis nō sim nescius Speculatorem affirmatiuæ opinionis defensionem suscepisse, Ego tamen pro negatiua cum iusto Reubero respondebo.

XXVI.

Quod de vxore diximus, idem in marito & sponso in causa vxoris & sponsæ obtinere arbitramur:

XXVII.

Liberos itidem & parentes nunquam inter se inuicē in iudicialibus, etiam cōsentiente aduersa parte, repudiata Dd. contraria sententia, admitti existimus; In extraiudicialibus autem cur remoueantur, si in ijs nulla vel patris vel filij utilitas vertitur, non satis idoneam reperio causam.

XXVIII.

De fratribus etiam qui adhuc in sacris paternis constituti sunt, quod inuicem tanquam domestici prohibeātur nemini vnquam dubium fuit. De emancipatis autem magnus est Dd. conflictus; Negat omnino Duar Dd. communiter in ciuilibus solum negotijs eos mutuò admittunt; Alij indistinctè pro & contra testificandi licentiam eis competere cēsent, quorum sententia legibus nostris conformior videtur.

XXIX.

Inter domesticos quoque referimus mercenarios; Malè autē hoc à Dd. quibusdam extenditur ad eos, qui aliquando mercenarij fuerunt, vt rectè animaduertit pragmaticorum Coryphæus Speculator; In hoc tamen eundem minus benè sentire opinamur, quod ijs testimonium ferre nō permittit, qui post litem contestatam dimittuntur.

Hæc quæ de domesticis diximus, eatenus pcedunt quatenus per alios veritas haberi potest, quod si fieri nequit, non omnino repudiatur eorum quos domi nostræ alimus testimonium.

XXXI.

Prohibentur præterea in nos testiū munus obire qui nostri capitales inimici sunt, quorum in numero etiam ij recēsendi sunt, qui famæ & existimationis nobis litē mouent; licet ij qui vitæ nostræ insidias nectunt, vt prægnantibus ex causis asserit Azo; Secus Acc. & post eum Bart. & alij qui his annumerant eos, inter quos de omnibus vel maiori parte bonorum contentio existit.

XXXII.

An Vasallus in dominū vel pro domino testis esse queat apud Feudalis iuris interpretes pluiimū & auxiliè quidem discepratur? Alijs negantibus, quibusdam distinguentibus; Nos affirmantium fovebimus sententiam.

XXXIII.

De subditis quod pro & contra dominum testificari possint ad eò non dubitamus, vt ne fidei quidem relaxationem necessariam esse putemus, licet illa non sine ratione de consuetudine recepta videatur.

XXXIV.

Nec hæc quæstio, vt in causa ciuitatis, vniuersitatis, aut collegij, qui est de ciuitate, vniuersitate aut collegio testis idoneus esse queat vsque quaque expedita est? Et posse cum Accurs. Costal. & alijs, nisi causæ commodum ad singulos spectet, respondemus.

XXXV.

Non minor difficultas est de Monachis & canonicis regularibus

laribus an etiam in alienis & secularibus negotijs testimonium perhibere debeant? Nobis affirmantium probatur sententia.

XXXVI.

In certis praterea causis quidem prohibentur; Ut sunt minores in criminalibus; Item feminae in testamentis & causis feudalibus; In codicillis aurem, mortis causa donationibus, & contractibus, vtrum in testimonium recte adhibeatur inter Dd. non conuenit. Et quamuis negatiuae partis rationes non parui momenti sint, affirmatiuae tamen, quae communi Dd. calculo recepta est, propugnationem suscipiemus.

XXXVII.

Deinde non adhibetur in testamento is cui bonis interdictum est.

XXXVIII.

Patroni item & negotiorum executores in causis quas agunt (in quo tamen Accurs. contrarium arridet) testimonium dicere non possunt.

XXXIX.

Sub negotiorum executoribus, aduocatos quoque & procuratores (refragetur licet & hic Accurs.) comprehendere arbitramur.

XL.

Idem statuimus in Iudicibus, Assessoribus & arbitris, etiam post finitum iudicium & arbitrium, quod ad causam principalem attinet.

XLI.

Nunc transeamus ad eos, qui a dicendo testimonio excusantur. Hic primi sunt cognati, quos leges in causis criminalibus, non etiam in civilibus ad 7. vsque gradum, vt testimonium dicant, non cogunt.

XLII.

Affines, qui inter se parentum & liberorum instar sunt, quamuis alter alterum testimonio subleuare non prohibeatur, inuicem tamen contra se vt dicant, vinculis legum non tenentur.

XLIII.

Adiungimus his patronos, patronas, libertos, libertas & hos quidem nec patrono consentiente compelli ad testimonium contra patronum posse putamus, Proxenetas itidem in causa ciuili, & arbitros compromissarios si partes consensum suum non adhibeant, eo vero interueniente, ex hoc ordine illos remouendos censemus. Hęc de personis quę vel prohibentur, vel excusantur dicta sufficiant.

XLIV.

Ceterum qui neque prohibentur, neque excusantur citati à iudicē (quod regulariter post litem contestatam fieri solet) nisi vel absentia, militia, dignitate, sexu, imbecillitate corporis, vel alias ob causas excusentur, dicendi testimonij ergo, coram illo, producente sumptus ministrante, comparere necesse habent.

XLV.

Quod si non parent, pœnalibus mādatis, vel captis pignoribus, vel etiam censura Ecclesiastica secundum fori qualitatē, à iudice compelli possunt.

XLVI.

Antequam autem testes ad iudicem vel commissarium eius veniant, ad petitionem partis alterius, citabit iudex, vel commissarius eius, eum, contra quem testes producuntur, examinationisquę constitutum diem denunciabit, transmittendo simul nomina & cognomina testium, copiam articulo-
lorum

II

lorum ad conscribenda interrogatoria & exemplum commissionis, si delegatus erit.

XLVII.

Porro comparentibus præfinito die testibus, iurare debent, præsentibus partibus, vel contumaciter absentibus, se in omnibus ad causam pertinentibus, de quibus examinabuntur, omnem & solam veritatem dicturos, non solum pro eo, à quo producuntur, sed etiam contra eum.

XLVIII.

Postquam iurarunt, iudex secretò & clam litigatoribus, adhibito tantum Notario, qui dicta illorum consignet, singulos sigillatim diligenter, non tantum de articulis, sed etiã super interrogatorijs (modò quædam conscripta sint) aduersæ partis, item connexis & circumstantijs loci & temporis, examinet, & quæ testes deponunt, ad publicationem vsq; arcaua vt sint, summo perè curet.

XLIX.

Si testes super interrogatorijs (quæ hodie in criminalibus, teste Iulio Claro, ab aduersa parte non exhibentur, sed ex arbitrio iudicis in examine formantur) nõ examinati sunt, denuò, petente parte, et publicatis attestacionibus, repeti possunt.

L.

Hac autem de causa repetiti testes, suntne de novo iurandi religione obstringendi? Affirmant Baldus & Felinus; Quorum sententiam, cum Hartmanno Pistorio, eo demum casu probamus, si super certis tantum articulis testes antea iurauerint; Secus statuentes, si super tota causa (vt hodie ferè semper fieri solet) ab initio iuratum est.

LI.

Hicce peractis, si iudex satis probatum esse iudicat, aut par-

tes ulteriori testimonio productioni renunciarunt, ad instantiam producētis, citatis litigatoribus, testimonio attestacionibus coram ipsis publicatis, copiam earum illis communicet, quod contra personas testimonio, vel ipsorum depositiones, aut contra formam examinis, excipere possint, aut pro illis inferre.

LII.

Excipitur autē contra testes multis de causis, p. quia pauper, levis, ignominiosus, producentis amicus vel consanguineus est, &c.

LIII.

Contra dicta eorum, quod sint obscura, vacillantia, non verisimilia, ceteris non conuenientia, à rebus & negotio ac tempore aliena, repugnantia, præmeditata, non idonea scientiæ causa firmata; & sic deinceps.

LIV.

Contra formam examinis, examinatum esse non citatum, aut parte aduersa non euocata, item dicta testimonio à notario infideliter esse excepta, non iurasse testem, & alijs modis.

LV.

Utrum autem testis, qui non iuratus deposuit, publicaris attestacionibus, reproduci possit, ut iuratus deponat, non incommode hinc queri potest? Et posse, nisi producentis culpa prius iuramentum prætermisissimum sit, cum Hart. Pistorio, non ambigimus.

LVI.

Et hoc quidem modo testes semel, bis, terve, producere licet; Quarta autem productio, nisi grauissimæ causæ diuersum suadeant, concedenda non est.

LVII.

Coronidis vicem, hac in materia, hæc obtineant; Duos testes ad actum aliquem probandum regulariter sufficere, vnum

non ple.

non plenè, sed semiplenè probare; Quot verò testes admitti
in vnaquaque causa debeant, & quantum vnique testium
fidei tribuendum sit, id iudicis arbitrio relinquitur.

LVIII.

DE INSTRUMENTIS.

Iam de instrumentis pauca quædam vt videamus superest.
Instrumenti autem vocabulum sua natura generale est, si-
gnificans omne id quo causa instruitur; Usu verò loquendi
peculiariter pro scriptura accipitur, quæ ad alicuius rei in po-
sterum fidem faciendam conficitur, sicque à testibus distin-
guitur.

LIX.

In statutis itaque, in quibus communis loquendi consue-
tudo spectatur, testes appellatione instrumenti nō compre-
henduntur; Unde nec dilatio, quam iudex instrumento-
rum causa concedit, de testibus accipienda est.

LX.

Instrumentum porrò vel est publicum vel priuatum; Hoc
priuata autoritate fieri solet; Illud à persona publica, aut ius-
su personæ publicæ.

LXI.

Non autem vnumquodque instrumentum, à persona pu-
blica confectum, publicum est, seu publicam meret fidem,
sed plura alia requiruntur.

LXII.

Primò vt rogatus sit notarius à partibus; Deinde vt res seu
negotium sit licitum; Tertio rei intelligentia & cognitio;
quartò, vt testes ad minimū duo vel tres rogati præsentés ad-
sint; Præterea præpositio nominis Imperatoris, vel pōtificis,
præmissa præfatione in nomine Dei omnipotentis, annota-
tio item dici, anni & loci negotij gesti, Romana indictio & si-

gnum siue symbolum notarij, cum eiusdem subscriptione.

LXIII.

Instrumento hoc modo conscripto, plena fides (nisi cancellatio, aut rasura appareat, vel nisi simulatum aut falsum esse demonstratur,) adhibenda est.

LXIV.

Cui æquiparatur chirographum, trium testium subscriptione roboratum & exemplum (vulgò nominant vidimus & transsumtum) ex authentico ab eodem notario descriptum, vel ab alio, cū originali, publica autoritate, collatum & recognitum.

LXV.

Inter priuatas scripturas numeramus chirographum, apocham, qua creditor fatetur sibi solutum & antapocham, qua debitor fatetur se soluisse; Epistolam item & rationes seu inuentaria mercatorum.

LXVI.

Huiusmodi scripturæ per se probatione pro scribente, vt & tertio, nullam inducunt; Contra scribentem autem, si illum scripsisse extra dubium sit, indubitaram fidem faciunt.

LXVII.

In factis tamen antiquis & illis quæ pendent ex mera facultate scribentis, etiam pro scribente probare illas, quidam contendunt; A quorum assertione, ego, cui rationes illorum infirmæ videntur, recedere non dubito.

LXVIII.

Maioris dubitationis est; Num consuetudine introduci possit, vt libris mercatorum plenè credatur; Mihi negatiua magis placet.

LXIX.

Corollarij loco sit; Iudicem secundum allegata & probata sententiam ferre debere, aut si hoc salua conscientia non potest, iudicis officium deponere & testis assumere.

FINIS.



Παρεργον.

Negotiorum gestorem non solum latam & leuem culpam (vt volunt Dd. communiter) sed etiam leuissimam prestare, quamuis nouissimè quidam, non leuissimis argumentis defenderit; Nos tamen à communi, opinione, vt æquiori, nostrum non subducimus assensum.



Spiræ Nemetum, Apud Bernardum Albinum.

ANNO DOMINI 1612.

